
QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ octavâ Decembris 1710.

M. JOANNE FRANCISCO COUTHIER, Doctore Medico, Præside.



An, omnium universi Corporis partium nutrimentum idem?

I.

ALIMENTA vitæ semina nullus negaverit, quem non latet sine illis diù vivere non posse animal. In utero vix animalis partium fit expansio, cùm cibum exigit fœtus suæ avidus perfectionis. Quod in utero sumit alimentum fœtus in lucem editus, illud idem sugit lactis nomine celebratum. Grandior jam factus, solidiori, conterendo solvendoque, nec non digerendo evadit non impar. Munus hoc solida, vi majori instructa, obeunt, juvatque liquorum, ut decet exquisita indoles. Ciborum varium genus in escam capit, suæ perfectionis jam compos, animal. Alimenta cujuscunque fuerint naturæ & indolis, succum suppeditant almum, quo perpetuò reparantur vires, jugi partium motu continuò labascentes. Omnes quæque corporis partes, ut ut diversæ, succum hunc eundem excipiunt sumuntque, & retinent debitè præparatum. Huicque, quotquot sint, jacturæ suæ reparationem, augmentum debent & perfectionem. Ossis dura compages, non ex alio fonte suum haurit succum, quàm à cibis; non aliam suæ rigiditatis materiam agnoscit, quàm succum, partibus carnosis mollitiem, liquoribus fluiditatem, spiritibus agilitatem & cælestem quasi substantiam largientem. Quanta igitur in rerum naturâ simplicitas. Quantus mentis error, sibi rerum naturam ex umbris & imaginibus repræsentantis. Hæc etenim sortis humanæ lex est & conditio, ut sensuum ope, sæpè fallacium, cognoscat & judicet. Hinc tot sibi mentitur imaginatio sensuum errori obnoxia. In corpore humano partes variæ cùm consistentiâ, tùm figurâ & usu conspiciuntur. In alimentis partes delitescunt figurâ motuque corporis humani partibus correspondentes: quis has illis natas & unicè aptas primâ facie non pronuntiaverit. At imò quicquid laudent sensus & comprobet judicium, ciborum varietas nutrimenti nullatenùs asserit diversitatem, neque vario refici partes varias alimento explicat. Nutrimentum in omnibus partibus idem; quicquid enim eundem obtinet effectum per eandem viam, indubiè eandem causam redolet & affirmat: nec impedimenta aut subventanea rerum unquàm mutare valent

eſſentias, quas tantùm oculis & intellectui magis occultas & confuſas repræſentant.

II.

RERUM noſſe cauſas ſoli conditori competit. Prometheum hunc habe, qui illarum ſibi aſciſcere cognitionem tentabit temerarius. Effectus, mentis humanæ ſunt prædia, ultra quæ ſemper dubius homo vagabitur, Icarique præcipitem in mare caſum offendet, ſolis calorem propiùs accedens. Lucis cauſam & rationem perpendere tibi eſt animus. Hermeticorum evolvis principia. Peripateticorum dogmata examinas, Democritum conſulis, Carteſio incumbis & ſtudes. Horum quiſque ſuam laudat opinionem, alienamque explodit. Scrupuloſus hanc modò penſitas, modò illam, illam modò amplecteris vagus & incertus: dubium & errorem ubiquè nanciſceris, demúmque ad ignorantiæ ſcopulos naufragus allidis. Quónam igitùr rei noſcendæ confugias cupidus? ſenſus corporea rimantur objecta: intellectus de his judicat. Spiritalia mens contemplatur, ea ſibi corporum more comminiſcens. Corporum perceptio vera & intima hominem núnquam penes erit: illa tantùm nobis objicit generalis conceptus & idea. Extenſio, noſtræ cognitionis & de corporibus aſſertionis unica fit norma: & quæ in illis eminent differentiæ aut accidentia, plerúmque fugiunt mentis captum. Ignotum igitùr ex minùs ignoto detegimus imbecilli. Ignotæ rei cum cognitâ comparatio, noſtram omnem aſtruit ſcientiam & complectitur: hinc quæ iiſdem motibus agi, iiſdemque planè terminis contineri animadvertimus, ſimilia hæc, eademve proferimus. Cum igitùr noſtræ cognitionis Analogiſmus ſit quaſi fides, illius conditiones ritè callere neceſſum; aliàs in rebus implicitis dubium & error. Corporum diverſitas proprietatibus qualitatibuſve variis innoteſcit & diſtinguitur. Qualitates materiæ accidentales à motu & figurâ ſive ſpeciali fermento, aut, ut placet antiquis, formâ peculiari, ſoboleſcunt. Eandem ideò habe materiam, quæ iiſdem motibus agitur, iiſdemque terminis ſivè figurâ prorsùs eâdem exornatur. Res etenim proprium peculiaremque motum obtinent & terminum ab eodem fonte ſcaturientes. Non aliam init viam in vegetalibus arboris procreatio, quàm fruticis aut herbæ. Utriuſque ſeminis in terrâ fit ſolutio ſeu putrefactio. Utraque ſuo creſcit tempore, ſtatoque fructus edit, juxta ſpeciem, legitimos. Hæc tam adæquata utriuſque conformitas ſimilitudinem aut identitatem probat genericam, quâ hanc & illam ſimùl dignoſcimus, tanquàm ab iiſdem principiis neceſſariò exurgentes.

III.

ANIMALIUM vita, ut & vegetabilium, motu innoteſcit, motuque incipit & ad finem uſque, nempè ſubjecti reſolutionem ſuſtentatur. Ovum pulli delineatas continet partes, & includit

quiescentes. Hâc quiete & otio sepultæ jacent, donec caloris lenis actio, illas è suo excitet stupore. Gallinæ incubantis tepor blandus, motum hunc parit fœcundum, quem artis industria non nunquam valet imitari, maximè in plagis orientalibus, quæ quotidiè pullorum exclusionem, absque gallinæ interventu oculis offerunt. Vegetabilium semina, ovorum instàr, plantam omnem & integram oculis mycroscopio armatis liquidò objiciunt: hæc in rebus, ad sensuum examen, vitam agentibus, miranda & fida conformitas, naturæ simplicitatem & constantiam, quovis eloquio & oratione, prædicat excellentiùs. Plantam in semine tanquàm in carcere inclusam vitæ radiis orbatam vides, donèc motus hanc torpidam adigat & stimulet. Terræ centralis calor solarisque, motum debitum creant, cujus duratio perseverat ad terminum & metam suæ speciei à summo opifice præscripta. Motus vitæ author, hujus est & reparator, alimenta præparans & cuique, quod deficit, impendens. Quæ motu vigere conspicies alimentum suppeditant. Quid mirum? *simile gaudet simili*. Metallorum ponderosa moles hominum nutritioni prorsùs inhabilis existit, quicquid de auro potabili promulgent & afferant Alchymistæ. Mineralium hirsuta & rigida compages, ex suâ naturâ alendis animalibus nunquàm idonea. In utrisque motùs abolitio & cessatio, constrictam effecit materiam sic & ponderosam, ut ventriculo cæterisque corporis partibus onus grave potiùs & molestum sit, quàm naturæ opus indigestum & rude. Alimentum ideò illud dicas, quod motui aptum agnoveris, sine quo nulla unquàm absòlvetur nutritio. Motùs aptitudini & conservationi conducit imprimis consistentia mollis & unctuosa: non etenim hujus naturæ cibi, motum duntaxat recipiunt; quin & fovent augentque, propter materiam tenuem & æthercam inibi conclusam & nidulantem. Hinc animalia cibum largiorem suppeditant quàm vegetabilia; ex illis alia plùs, minùs alia, prout illorum succi nutritii fuerit labor & præparatio: sic caro bovilis, vitulinâ plùs nutrit. Vitulina pinguiorem dat quàm agnina cibum, & sic de reliquis, modò cætera inter se sint consentanea. Ciborum varietas, tùm ex vegetabilium, aut animalium infiniti propè numeri parte, cùm ex variorum condimentorum, quibus alterantur, coalescit: illorum non est ad lancem & libellam facilis delectus. Alii, palato etsi suaves, minùs nutriunt: alii sapore minùs exquisito præditi, magis citiúsque cibant. Ea verò ciborum lex hæc sit & norma, scilicet nullam ventriculo inferant gravationem aut exolutionem, at exurgat blanda & tranquilla totius corporis & cita prodeat refectio. Ex alimentorum numero & ordine Potus, qui multifarius, pro regionum feracitate & hominum conditione usurpatur. Calidæ regiones vino gaudent, frigidæ zithum epotant, aliosque factitios, aliæ sibi in potum assumunt liquores, tum ex fructibus expressis,

plantarum infuſione, decoctione: & eo ritu homo ſenſibus nimiùm obtemperans, potùs neceſſitati voluptatem & delicias adjunxit. At qualis ſit potus, verum duntaxat & ſincerum exiſtima, qui cibum diluere ſolvere, & ſalium duram compagem effringere, aciemque delere potis eſt. Cibi potûſque numerus tantus tamque, pro illorum diverſâ indole, diverſus, partes corporis, ferè pariter innumeras & diverſitate illuſtres indiſcriminatim nutrit. Hujus alimenti cum hâc illâve parte ſpecialis analogia, à ſalibus ſulphuribuſve aut partium figurâ & motu pendens, nullatenus abſolvit nutritionem: omnium quantùmvis diverſarum corporis partium nutrimentum idem, ſuæque præparationis eadem media ſive inſtrumenta, æquè in his ac in illis partibus exigit & obtinet: eundem & effectum parit ubivis nutritio, animalis incremento, perfectione, aut refectione conſpicuum.

IV.

NUTRITIONEM abſolvit ſucci digeſtio; quam inchoat ſolutio, fermentationis nomine vulgò inſignita. Solutionem anteit cibi particularum contritio, ſolidorum motu & robore peracta. Chylus ità commolitus attrituſque, vaſa, anguſta quàmvis, permeat, perluſtratque, à quibus, ulteriùs progrediens, ulteriorem adipiſcitur evolutionis gradum. Hâc partium chyloſarum explicatione, perfectæ ſolutioni idonea fit alimentaris materies. Varios liquores, quibus corporis quædam partes quaſi turgent, huic operi ferunt natos plerique, bilis cum ſucco pancreatico in inteſtino luctam concitam, ſolutionis illius legitimæ cauſam autumantes. Etſi hæc de ſolutione opinio malè ſit illius naturæ conſona, tamen hæc effervеſcentia chyli defæcationi non inutilis, partes craſſas ac impuras à tenuibus puriſque eliminans. Hæc in his partibus ſecretio ſenſibilis, plures alias, quamvis inſenſiles, affirmat peræquè utiles. Glandularum implicatio id operis exequi videtur, quantùm ex autopſiâ licet judicare, pro illarum peculiari fabricâ. Vaſorum quibus coaleſcunt & intertexuntur glandulæ non idem diameter, nec eadem diametri figura; nec idem fermentum; hinc liquorum, quos ſecernunt, repetenda diverſitas. Horum tenuis & lympidus alter; alter craſſus & turbidus; amarus hic, acidus ille aliuſve ſaporis fuerit particeps. Glandes ubivis ineſſe neminem fugit, nullaque illis liquoribus excernendis, corporis pars deprehenditur magis accommodata: quos amandant liquores à ſanguine per arterias advecto emulgent. Glandulas itaquè defæcationis officinas exiſtima. Quotquot qualeſque ſint, ſucci alimentaris diſſolutionem aggrediuntur; huicque promovendæ non parùm utiles. Suo quoque modo & more ſolutionem liquida juvant, maximè ſales ſolvendo ſulphuraque evolvendo quibus coercetur & intricatur pars alimentaris in chylo immerſa. Quot, obſtupeſcens, inquies, inſtrumenta! quot labores

ſolutionem moliuntur! at cibum in materiam ſimplicem & homogeneam ſolvi neceſſum tene, ut quaſlibet inire partes valeat illiſque penitùs adhæreſcere : non alium ſané laborem non minùs arduum concedes, hujus veritatis conſcius. Quid nutritio ſive digeſtio? Succi nutritii in partem quamcunque alibilem converſio & tranſmutatio. Hæc ſubſtantiæ metamorphoſis materiam requirit nullis qualitatibus accidentibuſve infectam. Qualitates materiæ mera ſunt hujus accidentia,quæ ſolutionis beneficio, inviolata,dimittit.His igitur ſeſe exoneret, omnes formas indutura ; nam quicquid omnibus eſt idoneum characteribus, nullius actu debet eſſe tenax : alias huic illive excipiendo fit impar, niſi priùs, quos ante obtinebat, dimiſerit. Cera indiſcriminatim ſigillorum ſubit impreſſionem : at ubi novam vis excudere, prima deleatur neceſſum. Alma chyli portio omnes nutrit partes,quarum aliæ ſunt hujus, alius aliæ penitus diſſimilis conſiſtentiæ & genii diverſi: omnibus ideò qualitatibus exuat ſeſe nutrimentum. Veteres nutritionem aſſimilationis causâ fiericontendebant nec immeritò.Quî enim pars, aliam ſubit & quaſi penetrat, niſi fuerit ſimilis utriuſque indoles & natura. Oleum olei admittit mixtionem & conſortium, quod reſpuit cum aquâ,quovis artificio tentatum; naturam ideò ſimilem pars alenda ſibi vult in nutrimento. Quot igitùr in alimentis hoſpitantur partes diverſæ! at panis, quo ſolo miſelli quidam aut ſobrii veſcuntur, tantam ne largitur diverſitatem in ſuis intimis abſconditam? nequaquàm, & illud admittere rationi & experientiæ valdè diſſonum. Succus ſimplex & homogeneus harum qualitatum vices gerit & locum, ut potè quibuſlibet ſociabilis. Quid corporum adhæſionem prohibet? Hæterogeneitas, quæ ſanè nulla in ſucco ſimplici, in quo omnia ea ſunt proportione exquiſitâ, ut hoc illud non ſuperemineat principium. Sincerus puruſque manet ſuccus, donèc illum ſubeat fermentum, cujus naturam ſubitò facilis induit & characterem. Fermenti nomine placet illud, quod ſuæ indolis vim geniumque valet induere, undè res illo ſubacta fit aliud quàm quod fuerat ante; quemadmodum acetum vino impertit & communicat;fermentum maſſæ farinaceæ ſic & de cæteris. Quotquot in univerſo diverſa ſuo ſpeciali donantur fermento, aliàs in rebus nulla foret diſtinctio; nullus ordo: quæ ideò fermentum unicum poſſident, corpora homogenea dicuntur, nulliſque ſunt inſtructa organis; quod liquidò patet in metallis quæ perfecta decantant Alchymiſtæ, qualia ſunt aurum & argentum in quibus purus agnoſcitur mercurius: hæc homogeneitas in hydrargiro paritèr Eluceſcit. Materiæ nutritiæ homogeneitas, multiplicitatem partium expoſcit quibus abſolvitur. Illam inſtrumentum unicum, nec liquor unus poteſt expedire. Mirari deſine : tenuis hæc & pura ſubſtantia innumeris obſeratur involucris. Sales illam quaſi figunt,

R4.2.

irretiunt ſulphura, viſcida implicant, terreſtria obruunt, & immergunt aquea. Horumce vinculorum diſruptionem ſolutio intendit, ſolidis liquidiſque tentata. Tot organorum auxilio ſic expedita materies, digeſtioni fit congrua, primique fermenti afflatu, ſimplicitatem, tot laboribus & peregrè modò comparatam, amittit, naturæque fermenti, quo ſpiratur, fit particeps, ſervatque ad novæ ſolutionis opus & actionem. Nova ſolutio, mortis & vitæ alterius cauſa. Animal interit: ipſius cadaver motus & ſolutio aggrediuntur: ex illo, ſpeciei novæ reſurgunt animalcula. Hæc eſt Poëtarum metamorphoſis: Veterum transformatio & Metampſychoſis: hæc materia ſimplex, Protheus ille, qui in omnem formam ſe fingit, fermenti adventanei virtute. Fermenta non mole; at virtute illuſtria, quod illorum exigua patefacit quantitas & fere inſenſilis, effectus tam conſpicuos proferens. Formarum hæc mutatio naturæ integritatem ſervat & fovet: nihilque ſic in mundo fit mortuum & iners, aliàs nova creatio quolibet momento eſſet admittenda, perpetuaque annihilatio; quolibet enim momento animalium & plantarum fit interitus & generatio: hæc divina rerum harmonia, Macrocoſmi vera eſt circuitio, quam non malè repreſentat circulatio in animali peracta, ipſius durationis cauſa & origo.

V.

CIBORUM varietas, qualis quantaque ſit, diverſis corporis partibus reparandis malè arrogatur. Natura ceratoris Icon ſimplici ſemper utitur viâ. Simplicitatem hanc parit multiplicitas ab organis & liquoribus accepta. Quid igitur mirum quòd ciborum diverſa indoles nutrimentum idem ſuppeditet. Toxica & venena in bonum valent nutrimentum faceſſere, modò illorum debita fiat præparatio, modò exurgat vera ſolutio, materiam ſimplicem & homogeneam eliciens. Ideò non tantum moveat ſcrupulum, non horrorem tantum incutiat hæc alimentorum varietas, quæ ultra modum ſumpta, toxici pedetentim irrepentis more, Magnatibus præmaturam infert mortem; in his ſi aurea ſervetur mediocritas, à Menſis non erunt omnino ableganda: hæc etenim proſtratum leniter ſtimulant appetitum, inertemque ita & ſopitum recreant ventriculum, ut ad conſueta munia, quorum fuerat immemor, jucundè revocent. Cùm abſque ſolutionis auxilio nulla unquam fiat nutritio, illius naturam & conditiones cognoſcere incumbit, quæ hiſce continentur legibus; primò ut ſit blanda & quaſi inſenſilis: ſecundò ut menſtrui ope ſolubili planè analogi & homogenei ſuccedat: tertiò ut menſtruum & rei ſolutæ ſit mixtio & cohæſio ſic intima, ut hæc ab illo nullâ ſit arte ſeparabilis: tandem ut ex illâ commixtione ſubjecti perfectio exurgat. Hinc chymicorum liquorum lucta impropriè ſolutionis nomine laudatur, quorum motùs violentia ſenſibilis, utpote ab

heterogeneitate concita, quam ſequitur præcipitatio, ſive partium craſſarum ejectio& ſeparatio. Hæc in metallis admota ſolutio, metallicas tantùm partes atterit, comminuit, & quaſi erodit, in metallum nihilominùs reducibiles: menſtruaque ab illis facilè ſecedunt heterogenea, & nulla hinc ſolutis metallis accedit perfectio nova. Hæ ſeparationes artis ſunt effectus, nullatenùs naturæ, cujus opera blanda ſemper, amica & proficua. In vegetabilibus ſeminis ſolutionem conſule: nulla ſenſibus lucta patet: nullus ferè motus. Aqua, ſolventis ſive menſtrui munus gerens, ſemen permeat, dilatat, extendit ſenſim ſine ſenſu, & inhæret ita ut utriuſque unica fiat ſubſtantia. Quid inde reſurgit, ſpeciei conſervatio & multiplicatio. Quicquid igitur ab illâ naturæ ſimplicitate & conſtantiâ recedit; quicquid violentum, naturæ moleſtum judica. Motus rapidus & effrænis confuſionem parit homogeneitati & puritati contrariam. Fœcundatum ovum gallinæ leni committe calori excludendum, fiet neceſſariò pulli excluſio; caloris gradus ulterior partes ita confundit, ut earum nulla diſtinctio; liquida citiori & præcipiti nimis aguntur motu, unde liquorum indebita commixtio, organorum inde nullus ordo, nulla hinc pulli excluſio ſive ortus. Hæc animalis ſit nutritionis norma, cùm hujus vera ſit imago. Ventriculo cibos ingeris, ſtatim exurgis, incedis præceps, anhelus curris, gravatum perſentis ventriculum, ſolutionis arduæ aut nullius argumentum. A paſtu largiori liquores hauris ardentes: calor angit, ſitis urget inexpleta, ſolutionis impeditæ verus index: hoc etenim potu, vaſa nimiùm ſollicitas & adigis, motumque citra naturalem cies ſolutioni penitùs adverſantem. Chymici, apud quos ignis frequens uſus, religioſam habeant hujus rationem, cùm aquas, ſolutiones, extracta habere utilia voluerint: ignemque hunc unicùm judicent utilem, quem caloris naturalis cognoſcent æmulum; menſtrua adhibeant, quorum indoles ſolubili non fuerit diſſona. Plantæ cujuſdam vires obtinere animus eſt, hujus ſuccum exprime, in hoc ejuſdem ſpeciei plantam igne lento macera, aquam, ignis, quantùm poteſt, analogi beneficio, elice: hâc aquâ ſolve extractum, & eo ritu plantæ vires parùm adulteratas poſſidebis. Alimenta ſuccum continent ſolutioni multùm opitulantem: quæ tali ſucco quaſi immerguntur, non multùm nutrimenti conferunt, citiúſque, quàm par eſt, in ventriculo diluta, ad inteſtina devolvuntur & procidunt; ex his inter vegetabilia plurima, veluti olera, fructus aquei, quales ſunt ceraſa, pruna, melones, &c. quorum eſt natura ventriculum & inteſtina exolvere & interturbare, unde lienteriæ, cœliacæ, diarrhœæ, dyſenteriæ non inſolitò ſoboleſcunt; quorum effectuum ratio non tam ab hujus ſucci quantitate, quàm à cruditate repetitur. Quæ humoris non affatim exudant, difficilè &

rarò ſolvuntur, qualia ſunt fungi; fructuum cutis, animalium pellis, partes membranaceæ & tendinoſæ. Pro tali cibo incaleſcit ventriculus, febreſque inde non infrequenter ſuboriuntur. Cibi quorum apud hominem uſus frequentior, ſucci diluentis quantitate fruuntur modicâ (cujus ideò digeſtio legitima ſucceſſit.) Hi facilem blandamque corporis redintegrationem conciliant. Frumentum eo gaudet ſucco, quem animalium muſculoſæ partes nobis quoque ad dapes offerunt; Unde minùs hiſce ſatiatur ventriculus, aut faſtidit, quàm alia bene multa, quorum ſapor palato maximè blanditur. Non totum ſolutionis opus ſuccus alimentorum unicus abſolvit. Juvat hanc & adimplet liquor, cujus animal dives: quæque corporis pars illo recreatur & reviviſcit, aliàs protinùs peritura. Solida ab illo vim & elaterem mutuantur. Fluiditatem ab illo liquida deſumunt: motùs enim eſt author & actor liquor is, ſive menſtruum univerſale, in corpore animalis ſpiritùs nomine commendatum. Spiritùs ſubſtantia præ cæteris tenuiſſima igniſque naturam repræſentans ob puritatem, velocitatem, & inviſibilitatem. Spirituoſam hanc materiam agnoſcere, tanquam ſolutionis cauſam & inſtrumentum conſtat. Nullius eſt indolis nec figuræ, omnium verò capax, hinc cibum citò & intimè pervadit, perluſtrat, ſucco quem obtinet adhæreſcit, movet, agit huc illucque expandendo, unde jam triti blanda fit cibi proſtratio, fuſio, denique vera & legitima ſolutio. Ciborum ideò ſolutionem promovent quæ ſpiritus valent recreare, reficere, & novos ſupplere, ſicuti vinum, ſi modus ſervetur; hinc ſi nutritionis cauſas vis rimari & conſulere, eſto memor ſpirituum animalium, ſucci nutritii diſſolutionem concitantium. Spiritus ubicumque corporis partium ſuas exerunt vires: nulla non corporis pars illis animatur.

Ergo, omnium univerſi corporis partium nutrimentum idem.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Franciſcus Aignan.

M. Jacobus Fourneau.

M. Ludovicus Franc du Tal, Pharmaciæ Profeſſor.

M. Michael Ludovicus Reneaume de la Garanne, Scholarum Profeſſor, & Regiæ ſcientiarum Academiæ ſocius.

M. Raymundus Jacob Finot.

M. Claudius Berger Medicus Regis ordinarius, è Regia ſcientiarum Academia & in horto Regio Chymiæ Profeſſor.

M. Michael Pichonnat.

M. Franciſcus Picoté de Beleſtre.

M. Nicolaus Bailly.

Proponebat Pariſiis JOANNES HENRICUS IMBERT Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1710.

Apud viduam Franciſci Muguet Typographi Regis. 1710.